

Bibl. Reg. Lipsicæ 1045, nr. Theol. Dr. Wittenberg

PANEGYRICUS APPLAUSUS
VIRTUTI ET HONORI

Perquam-Reverendi, Clarissimi, Excellentissimiq, Viri

DN. CHRISTOPHORI SCHLEGELII,
S. S. Theol. Doctoris, Vratislaviæ ad Spir. Sanct.
Præpositi, & ad Bernhardinum Pastoris, uti & Ju-
dicij Ecclesiastici Assessoris longè
dignissimi,

Mense Novembri Anni inclinantis Christiani

C 15 15 c XLV.

Ex debito amicitia: officio accentus

CHRISTOPHORO COLERO,
ibidem Historiarum Professore & Bibliothe-
cario.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

Anno c15 15 c XLV.

PANEGYRICUS.

Qualis inœsta Parens charum, sua gaudia, Gnatum,
Non sine lamentis peregrè dimittit in oras:
Talis BRESLA suum sibi plusquam nomine Gnati
SCLEGELIUM penitis infixum ardore medullis,

Theiologæ exemplum meritò palmare Cathedræ,
Cum centum nuper lacrimis & mille querelis,
Inter tot sævi decumana tonitrua Martis,
Mille per ambages & centum intura viarum,
Quo Te fata reum voti ductura vocabant,
DOCTURÆ titulis maectandum insignibus illic,
Ad Witekindæam dimisit Saxonis urbem,
Mœnia cui lambit tutissima flexibus Albis.
Tristitiam Patrum pariter, Populiq; gementum
Attestata dies procinctus, nubibus atra;
Æolus emittens Ventorum examina ab antris,
Contristansq; polus spissum diffusus in imbrem.

Interea titubans dum nutrix BRESLA Virorum
Intra spemq; metumq; gemit, (velut acta procellis
Naufragio vicina ratis, sua vela retorquens,
Attingit nec, opina suos in littore portus)
Ocius en Ladas, aut Majæ filius Hermes
Interpres Divum, vel Perseï penniger ales,
Famavè Leucoreis Euro velocior oris
Attulit advolitans læta ac nova digna relatu
SCHLEGELIUM DECIMA QUARTAQ. IN LUCE RUDENTIS
DOCTOREM OCTOBRIS SAPIENS WITEBERGA CREAVIT. Sr. V.
Publica quàm subito mutata in gaudia torpens
Tristitias, pectus lacerans: dulcedine tanti
Rumoris sancti Patres Populusq; fremebant!

Non



549314

Non secus ac reducis Gnatum ad nuncia Gnati
Exilit, & manibus plaudens pia juba cantat,
Tunc numerabamus correptas sidere lucas,
Et tardas noctes, & cunctas jugiter horas;
Donec læta dies terras despexerat æthrâ
Quâ de ter faustis redeuntem vidimus astris,
Fulgentem nitido Virtutum emblemate, Honore.
Non tam grata nitet rigida post frigora brumæ
Hora novi Veris, nec sic post nubila coeli
Auricomus denso radiorum lumine Phœbus
Quam reditu festiva tuo, speciosaq; plausu,
Lux his dona ac sexta Octobris ab axe refulsit.
Tunc Patrum Populiq; fuit vox una faventium,
EN REDIT, ille REDIT, CHRISTO ductore Viali,
angelico circum munitus ab agmine CHRISTI,
Corpore cum vegetus, tum sanâ mente serenus.
Qualis læta parens reduce, sua Gaudia, Gnatum
Excipit amplexu, visoq; tot oscula pangit
Delicio, Veneris volucres quot amore Columbæ;
Quotq; suæ Sponsus vitæ, nova nupta marito:
Talis BRESLA suum plus Gnati nomine dignum
Plausibus excepit faustis Te Publica Mater.
Jam capiti formosa tuo plebs necere ferta,
Accurritq; vias redeunti sternere densis
Floribus, emoriens quos vel relliquerat annus,
Aut brumæ quos ars æstiva parârat in usûs.
At genus è cœlo lapsum, gens Musica, varum,
Quos vel BRESLA sinu, vel rota Silesia nutrit,
Numinis afflatu pollens & viribus Oestri,
Nunc Heliconâ movent montem, fontemq; disertum
Castalidum libans, vario ut tibi carmine certent.

Non

Non ita, cum materna sui cunabula Deli
Linqueret, Aonias cupiens invisere Apollo,
Applausere Deæ redeunti carmine Patri.
Una tot herdo numeros, ceu fulmina, flatu
Evomuit; Virgoq; elegos dedit altera molles;
Tertia grande sonans tragico succincta cothurno,
Ceu torrens de monte cadens, excelsa tonabat.
Esto! Leucoreum tibi tum, quâ luce Lycœum
DOCTURÆ MITRAM solemnè imponeret Actû,
Ingeminasset id, suum id, & Feliciter illud:
Florida cum Patrum studiosa Juventa Senatu
Publica contestata palam sua gaudia voce.
Sed non Leucoræ plausu concesserit urbi
Ille Silesiæ flos Vratislavia terræ.
Nec minor est Patriæ clamore domestica festo
Lætities, quæ cuncta ædis penetralia replet,
Illa tui consors thalami, sociataq; lecti
Fœderibus, quæ Cæsa Viro, Cornelia natis,
Occurrens reduci curru sua turgida vultu
Gaudia cum lacrimis expromit mixta caducis;
Tum suspensa diu multiplicat oscula labris,
Ac desiderii sua tot tormenta recenset,
Spemq; metumq; suos, vigilisq; insomnia noctis.
Ast ubi chara pedem tuleras sub limina tecti,
Tunc Te amplexatus circumstans ordo triformis
Gnatorum, numero Charitumq; similtimus ore,
Accinit intranti lætante, & oscula figit.
Salve, charè Pater, resonabat maxima natu
Bigæ, minor tuu inguâ lallabat inerci.
Sed ne mi erur quisquam certamina plausûs.
Publica causa subest gratandi pectore toto,

A 3

Et

Et privata simul præ se fert nobile pondus,
Ecquis enim tanto non assurrexerit ultrò
Virtutum merito, & cumulo reventer honorum?
Quot quantasq; tibi fusè tam prodiga dices
Contribuit natura parens, fortunaq; dotes
Ambabus manibus, quas raras possidet alter!
Non genus, aut proavos referam longo ordine priscos,
Nobiliore luto queis Titan corda creavit,
Et studiis mentem divinis indidit aptam,
Inservire DEO Pastorum munere fungi,
Atq; gregem Christi cœlestis pascere verbi
Ambrosiâ, atq; Israëlitici sat pectare fontis.
Martia quod quondam de magnis Romæ Metellis
Dixit, eos fato fieri ducente potentes
Induperatores, vel nomine Consulis altos;
Id, livore favente ipso, de Gentis Honore
SCHLEGELIÆ pridem communis fama probavit,
Heic velut artificis contextus firmate pepli
Enitet in serie primus SCHLEGELLIUS ille;
Qui Pater in mundo numerofo pignore felix,
Ac sibi consimili sexûs utriusq;, beatus
Quod te majorem moriens se laude reliquit,
Cedere vivus adhuc Gnato per vota paratus.
Hunc *Pitschen* a prius Pastoris munere fungi
Vidit, & insignem Verbi *Smelena* Ministrum
Audiit, & *Zabelitium* Pastoris obire
Munia conspexit, donec volventibus annis
Aulica Saxonici te Ecclesia Principis ipsa,
Præconem Verbi *Dresdensi* in luce foveret;
Ac fatis suprema tuis accederet ultrò
Weissenfca patens, agris porrecta Thuringis,

Cujus

Cujus *Pastor* erat, vigilansq; *Inspector* ibidem,
Atq; ibi deposuit cineres ac ossa quiescens.
At quibus ornabo phaleris, pingamq; figuris
FABRORUM Gentem, *Patrem, Natumq;, gemellos*
ZACHÆOS? quorum sanè fuit ille bicordis
Pars bona Theiologi, nec pars minor altera vatis,
Cecropio sermone Deum Latioq; canentis:
Filius & prosâ certans vorsâq; Parenti
Dicendi specie stans famæ in luce triumphat.
Ille tuæ Genitricis erat Pater, isteq; Frater;
Quæ matrona sui Patris æmula, & æmula Fratris,
Materno cum lacte suis ex ordine natis
Semina virtutum dotesq; infudit avitas.
At genus, & proavos, & quæ non feceris ipse,
Vix tua dona putas: *nam storens fama Parentis*
Et taus perpes avi, mibi nil dant ponderis, inquis:
Ergo mibi tentanda via est, quâ me quoq; possim
Tollere humo, annitens per tot vestigia Patrum
Grassari ad templum Virtutis, Honoris & aram.
Sed te non fervor præcox, nec opinio inanis
Doctrinæ, veluti plures sine cortice nantes,
Ante mares annos animosq; in vortice merfit.
Non aliter Phaëton expers auriga paterni
Currus, ludibrium tam grandibus excidit ausis,
Ac ut Dædaleus temerè puer Icarus actus
Audax Icaris cognomen contulit undis.
Te vigor ingenii pernix ac ignea virtus,
Non secus ac Helice nautas cynosurave lucens,
Dirigit in cursu studiorum, aut prævia lampas,
Promovet hunc genii raptum comprehensio felix
Ediscendarum rerum, & custodia solers.

Quæ

Quæ duo sustentant labor atq; industria constans,
Et vis iudicii rerum tam plurima limans,
Portendere virum longinquum certa futurum
Omina natalis quondam præsentia puncto,
Ac infantiles præsignificantiæ motus.
Fallor, an ad vestras non commemorabile cunas
Tale quid acciderit, JOVIO quod teste probato
Phœnici Italiæ, nascenti affulserat olim
PICO, cui fecit mirum MIRANDULA nomen?
Flamma caput supra radiis se vertit in orbem
Promittens volucris vivaces indolis ignes,
Perfectum quiddam notat orbiculata figura,
Gens formicarum tua vel cunabula granis
Triticæ implevit similæ, cum fœnore largo
Semper Amaltheæ designans fertile cornu,
Docti grana salis, messes fructusq; laborum.
Sic Thebanus olor matris pro lacte puellus
Nutritus dulcis liquido de nectare mellis:
Mellificæ divi volucres sua dona Platonis
Irrorent lablis vernos redolentia flores,
Queis designatur sapientis gratia lingvæ.
Tu magis Ambrosio similis, cui forsan in ora
Densum examen apum volitavit, & ocius inde
Exiit, in celsum contendens æra pennis,
Et Patris & turbæ cludens præsentis ocellos.
Nam velut Ambrosius Melitæus nectare lingvæ
Ambrosiisq; animos chartis, Tu corda piorum
Invitas agni ad cœlestia fercula puri.
At quamvis sit ager genio fœcundus ab ipso,
Sed sine culturâ mendax sterilefcit & aret:
Pullulet ex sese, millenis frondibus arbor,

Negle-

Neglecto at cultu fructus non proferet illos;
Ingenitæ ferrum bonitatis jactet acumen,
At perit annosâ sensim rubigine rosam;
Sic flos ingenii tacitis defloret in annis,
Ni cultura frequens illud correxerit usu.
Quanta fuit puero discendi multa cupido!
Quantus amor recti! quantus conatus & ausus!
Hoc doctrinarum variis profectibus augmen
Virtutumq; tui præcognovère magistri
Qualis & explorans è terrâ mane vaporem
Sentit aquas venis aqilex latitare sub arctis.
Duxerit heic agmen generis splendore celebris,
Vindiciis fidei invictis sed major HOË U S.
HOPFNERUS sequitur non ultima fama cathedræ:
Theiologum hinc Phœnix radians in Teutonis orbe,
In libris Apis ac solers formica GERARDUS.
Grande foret crimen, si te MARTINE, Sophorum
Theiologumq; decus, Fabii tum nobile Scutum
Pro fidei vero, tum Marcelli hostibus Ensem
Invictum semper, pedibus transivero siccis.
Hinc Witebergensem facundâ voce Periclem,
Seu magè flammivomum Chrysofomon ore ROBERUM.
Ac de Theiologum fœcundâ gente creatum,
Tot magnis celebrem meritis in ovile LYSERUM;
Nec Frisiûm decus HULSMANNUS non dictus abibit;
Quem non Saxoniz tellus Germanica tantum,
Ac etiam cœlo tot laudibus AMSTELIS æquat,
AUGUSTANA cui simul est CONFESSIO cordi:
Et nunc COLLOQUIUM, quod amico nomine pacis
Audit, quodq; sinu præclara THORUNIA secum

B

Regis

Regis ad auspiciū mundo spectante celebrat.
 Nilus accepti partes *Moderaminis* aquas
 Pacificos animi motūs cum Principe vero,
 Et Suadæ flumen, collaudant livor & hostis.
 SCHLEGELIANUS erit, WELLERUS fidus Achates,
 Pauperis exemplam ingenii, quod dia voluntas
 Evehit ex casulā ad magnas Germanidos urbes.
 Clauferit hoc agmen magnus *Glossarius* ille
 TROSTIADES, quem fata Virum vix invida mundo
 Ostendere bonis, nec longius esse dederunt:
 Quo moriente dies oriens occumbere visus.
 At licet ipsa sibi Virtus pulcherrima merces
 Sufficiat, nec opem fortunæ exambiat ullam;
 Grandibus aut titulis, lauru, vel fascibus ullis,
 Aut plausu populi, strepituq; assurgere nolit:
 Attamen inviram precibus compellat amicis
 Hoc caleat Virtutis, *Honos*, fax mentis honestæ,
 Ceu proci, exspectans prædas quas sitor opimas,
 Virginis invitos blandè vestigat amores,
 Urget & insistit, donec persuadeat ipsam
 Indocilem flecti per bysina verba puellam.
 Callidus & volucres avium concentibus auceps
 Illicit in laqueum, aut viscata infidere virgæ:
 Sic puerum investem, sic primi floris ephebum,
 Sic juvenem, atq; Virum maturum frugis & avi,
 Dignus quærit honor, virtuti debita merces,
 Post exantlatos juges duosq; labores.

A. 1628.
 22. Mart.
 Styl. ubiq;
 veter.

Lipsia post Sophici peragratum dogmatis orbent
Bacciferam puero *Laurum*, primordia honorum
 Conculit, haud ultra tria quàm quinquennia nato.

Ille

Illa eadem compensatrix virtutis honestæ,
 Post spiramentum fluxi, spatiumq; bienni
 Dignum laude caput *Mitrâ* vestivit & ostro:
 Adjungit *Laurum Comes Imperialis* HOEU S,
 Carmine cui Juvenis sese vernante probarat.
 Quod meditabatur prævertere JENA brabéum,
 Tot dotes digitis quasi præmonstrante GERARDO;
 Hospite jucundo Juvenis dextroq; magistro:
Prævia Doctura veneranda Licentia summe
 A Witekindæo meritò decreta Senatu,
 Donec *Solstitium doctorum nobile honorum*
Præsenti Suprema tibi Doctura tributa est,
 Nomine confessus Patrum, tradente ROBERO.
 Hinc maustum titulis vatisq; Sophiq; gemellis
 (Quantum vis virtus precio contenta suo pte
 Muneris externi nec opis sit conscia lata)
 Sors in *Anbaldinam* faulrix te collocat *Aulam*,
 Cum vix bis denas messes superaris & unam,
Aulicus & præcotam vernâ ætate verendus
Zervesta, ac *Ephorus* studiis præfectus & ævo
Principis Ascanii pupilli à Matræ patronâ;
 Quæ *Frisorum Oldenburgum* cunabula jactat.
 At dum *Leucoream* paulò secedis in urbem
 Consilio magni SENNERTI usus & arte,
 Accidit horribilis per fata volentia casus,
 Aëra dum de peste cupis purgare nocivâ,
 Ut prope consumtus periisses pulvere nitri;
 Ni manus aligerum lenisset pulveris ictum,
 Et divina pii miserens *Clementia cætus*
 Grande reservasset te fulcrum ac organon ingens.

Anno. 1630
 28. Janu.
 Eod. n. d. A.
 27. April.

1638. 22.
 Febru.

1645. 14.
 Octobr.

B 2

Inde

Inde sequens annus pensavit danda prioris,
Dum latè pandit tibi Diva Silesia portas.
Scilicet ingenii data *Pratislavia* alylum,
Disponente DEO, per H O E U M edocta rogatum;
Te vocat *Elisæus* sacrati ad pulpita verbi,
Et Scholicas dispensatâ mercedè cathedras.
Vidimus heic utrobiq; virum te ostendere dextrum,
Quid valeant humeri commisso munere fungi.
Omnia metiri doctrinæ dogmate puro,
Exemploq; soles componere Pastor ovile.
Principis ad vitam veluti componitur orbis,
Quæ si legitima est, audit censura perennis.
Sic in facta sacri conversa est concio mystæ:
Ac ut dux acie arma gerens, præcedit anhelis
Militis ora pedes; mandat tolerare labores,
Atq; manu monstrat, longè conspectior actis:
Sic pugnaturis pro Christi ductor honore
Militibus præeat dictis, & fortibus actis.
Unde Pater Patriæ motus ratione Senatus
Sacratas BERNHARDINI tibi credidit ædes,
Dogmate pascendas, vitæq; tertore regendas.
Nunc satis apparet, quo more mereris honores,
Cum benè mandato nitâris munere fungi.
Nam vires animi & curas commissa potestas
Exigit, atq; virum tandem sua facta probabunt
Artibus emergis licitis, animoq; modesto
Suscipis, & gestas captos moderatus honores.
Incipis haud melius quicquam, quàm desinis ejus,
Ultima nec primis cedunt conatibus ausa.
Adde, licet fermè nulli sincera bonorum

Conger

Congeries concessa Viro, & quæ publica oculo
Gloria adæquavit, privata reliquit inanem,
Te tamen æquâ domi, atq; foris fortuna beavit.
Ivit in amplexûs bene-nata TILESIA vestros,
Matronale decus, pietate fideq; probata;
Quæ tibi dererget sudorem pulvere citum
Herculeo, & Spartæ curas tenuabit amaras:
Spem generis vestri, charissima pignora, natos
Educat Exemplo ad recti præeunte tenorem,
Ut videas oculis virtutum examina lætis.
At dum perpetuo tenuis comprehendere cogor
Carminè, naturæ dotes animiq; beatas,
Fortunæq; gravem cornu prædivite dextram,
Expositosq; tibi merito virtutis Honores,
Publica quàm recto tibi constant priva;q; talo;
Eheu in quantum dilaber cursibus æquor,
Naufragium temerè tumidis facturûs in undis!
Hic opus est illis Palinuro in Syrtibus alto
Mœonio, Andinovératis rectore vagantis,
Nocte sub obscurâ qui clavo affixus & hærens
In dubio spectet constanter sidera cursu,
Imperet & remis velisq; impellere navim.
Sed mea, ludibrium ventis ne fiat & undis,
Cymba petit meliùs tuti vestigia portûs.
SCHLEGELLI ingenii metas transgressæ rapacis,
Ergo tuas alii percurrant ordine laudes,
Quæis melior genius, quæis mens contermina cœlo est.
Nam qui SCHLEGELLI virtutem expresserit omnem,
SCHLEGELIA huic virtute opus est & numinis oestro,
Sit mihi summa rei fufum pro carmine votum:

B 3

Ur

Ut naturarum sator ille & stator ab alto
Nobilium, sanam enim sano corpore mentem
Ingenio illustri det, ne breve fulgeat orbi:
Sed, veluti radiis, illustret dotibus urbem,
Clarius iugenis teridem, quot cynthia Phœbe,
Phosphorus aut faculas supereminet igne minores.
Donec publicitus felix privèq; beatus,
Nestora transgressus, meritis defessus & annis,
Justitia ductu, fideiq; nitore coruscans,
Tandem Doctor honorus in axe brabea Brabeutâ
Cœlesti Doctore DEO gratuita lucratus,
Exoriens patrio sidus radiabis in orbe.

